



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Rebus Gestis Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv

Marchetti, Annibale

Florentiæ, 1687

Capvt XV. Alias domesticas tricas summa dexteritate expedit, ac Mediolanum profectus, præclara suæ virtutis monume[n]ta relinquit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43962

CAPVT XV.

*Alias domesticas tricas summa dexteri-
tate expedit, ac Mediolanum pro-
fectus, præclara suæ virtu-
tis monumēta relinquit.*



Er hæc eadem tempora Rodul-
phus Aloysij frater gravi in-
vulgus concubinatus infamiã
flagrabit: propterea quia cum
Virginem quandam loco haud
ignobili natam, sed illi longè
imparem, diu deperisset; ut genio citra Nu-
minis offensionem indulgeret, suumque amorem
cum Divino conciliaret, legitimo secum matri-
monio, sed occulto iunxerat, ne scilicet nota,
aliqua familiæ iniusta materiam sermonibus, of-
fensionibusque suggereret. Quod tamen contra
accidit; nam cum coniugij iura laterent, &
coniugialis benevolentia, ac familiaritas palàm
esset, suspicio fuit, puellam a Rodolpho post
vim semel illatam in concubinæ locum retine-
ri. Quæ opinio ceteroqui falsa, cum temeri-
tatis a compluribus veritatis indicijs absoluere-

Rodolph.
cōcubina-
tus inf-
mia labo-
rat.

§ 2

tur,

Al: ad eius
emendatio-
nem adhi-
betur.

tur, ita Castilionis oppidum oppleverat, ut etiam in Marthæ Parentis animum æquè ceteroqui pium, atque ad alienam impietatem credendam difficilem irrepserit. Itaque Mater Aloysij in Rodolphum auctoritatem sæpius experta, illum rogat, ut si quâ viâ, ac ratione id possit, tantas sordes è germani Principis ædibus (ne veluti e sublimi in subiectas domos defluerent, quæ pravi exempli vis est) moliat, abstergere: facile enim scelus sibi populos subijcere, si cum Principe sedeat in throno: nec esse, qui sibi licere non putet, quod legis latorem patrare conspiciat: aut certè spem impunitatis scelerum obstetricem non defuturam, ubi pœnas exigat, qui dare deberet, & cui puniri scelera displiceat. Negotium ille sine morâ suscepit, aditoque Rodolpho quantâ maximâ potuit contentione hortari est aggressus, ut quam rebatur pellicem domo exigeret, seque eâ peste, ceteros contagione liberaret. Rodolphus tamen si certus id flagitij, cuius in simulabatur, ab se procul esse, veritus tamen ne ad unius ficti sceleris simulacrum vera permulta ederentur; quemadmodum ad unum pictæ domus exempli multa ædificia consurgunt; anceps quid agat, spatium sibi ad deliberandum postulat, illud interrim affirmans, se fratris consilia, austeriora licet,

Ficta sceleris
ra veris in
exemplo pa-
ria.

licet, non improbare : tempore durissima quæ-
que emolliri , maximèque acerba mitescere : ab
eo spem esse quidquid nunc præproperè deside-
retur , allatum iri , tutòque venturum,quod cū
periculo festinaret .

Interea Aloysius Mediolanum studiorum,
causâ secessit : ubi , cum de more omnibus exē-
plo clarissimum ad virtutem lumen præferret ,
hoc in primis memoriæ proditum ; quòd cum
ad eum pro sacræ Eucharistiæ munere , grates
Numini agentem Ianitor festinus venisset,atque
in aurem dixisset, Castilione Rodulphum Prin-
cipem adesse, qui cum suo comitatu eum ad ia-
nuam expectet ; S. Adolescens nullo homini
responso dato , binas haud minùs horas eodem
loco pronis genibus hæsit , ac tum demum sese
hospiti germano dedit . Ex eo autem liquidò
didicit , sceminam illam, cuius consuetudo vul-
gò malè audiret , legitimè coram Parocho, at-
que arbitris sibi nuptui collocatam : cælatas ve-
rò ab se nuptias , ne generis discrepantia co-
gnatos Principes offenderet . Lætus fuit supra
modum Aloysius , ubi intellexit , eo in loco a-
pud fratrem animi integritatem haberi,ut san-
guinem , quàm mentem , fædatum mallet : sed
quìa rem valde perplexam , ac magni cõsilij ef-
fe sensit ; Fratris permissu doctissimos quosque

Monitus
expectari a
Principe bi-
nas horas
preces pro
ducit.

e Societate Viros, etiam qui Romæ degerent, per litteras consuluit; quodnam in eâ re Christiani hominis officium esset. Responsum fuit, Matrimonium omnino vulgandum, ne, si lateret, suspitioni pellicatus magno cum publica honestatis detrimento, locum daret. Hoc accepto responso Castilionem ad Rodolphum, eodem iam regressum, properat, eumque graviter monet, ne ut inualidas hominum iras, ac propè sagittas parvulorum deviet, fulmina Dei Præpotentis incurrat: ceterum sibi curæ futurum, cognatos Principes delinire, ut factum non improbent, quod supremo rerum Domino probari intelligerent: interim hunc placatum ipse efficiat, elutis sacrâ Exomologesi vitæ superioris maculis; quò propitio, ac faventi Domino oblectandantes famuli se quoque placatos præbeant. Suas uterque partes egregiè peregit, ac brevi omnia e sententiâ, Deo benè iuvante, cessere: nam Aloysius datis ad Mantuanum Ducem, item ad binos de gente Gonzagâ Pontificis Maximi Purpuratos, ac ceteros eiusdem familiæ Principes, litteris, tam multa, ac valida argumenta congescit, ut ex omnibus pacatas, amicasque responsiones elicuerit. Cuius id in primis argumento, quòd eius Patruus Alphonsus Gonzaga, quem iratum præ ceteris

Rodulphi
fratris per
suasione
matrimonium
vulgat

verebatur, fortissimi Castri Godefridi, quod eius imperio suberat, Rodulphum haud ita multò post decedens heredem instituit.

Germano in hunc modum ad saniora consilia revocato, ac veluti emendatâ capitis valetudine, ceteris reipublicæ membris aliquam pro suâ facultate medicinam adhibere non renuit. Rogatus enim a Marthâ parente, ut de rebus ad vitam futuram pertinentibus concionem haberet; in *Æde* sodalitatis, cui a *Disciplinâ* nomen, magnam hominum vim gravi, & copiosâ oratione ad bonam mentem hortatus est: & ut quam primùm factæ sementis fructum aliquem decerperet, ad Eucharisticam cœnam in crastinum paratam (qui dies Dominicus in exitu *Baccaniorum* erat) populum conuocavit: fuitque tanta frequentia, isque in omnibus ardor, ut noctem illam insomnem Sacerdotes complures audiendis Confessionibus ducere cõpuli fuerint. Die insequenti Aloysius sacro administrare, cunëtisque ad Eucharisticâ mensam accedentibus poculum ori abluendo porrigere voluit: inter quos fuere Martha parens, Rodulphus frater unâ cum coniuge, alijque ex auâ permulti, qui deinde universi tempore pomeridiano, ut sacrâ *Cathechesi* ab eo imbuerentur, eodem loci rediere: eaque omnia

Concionẽ publicẽ habet.

In exitu *Baccan.* populum ad sacram cœnam inuitat.

Post meridiẽ Christiana doctrina eundẽ imbuit

Aloysius mirâ animi alacritate , parique ceteris ad pietatem exemplo gessit .

Rebus Castilione compositis , Mediolanum repetit : quo in itinere cum ab summâ , ac frigidissimâ hyeme manus illi intumuiscent , adeo abruptæ sanguinem darent ; nunquam adduci potuit , ut Chyrothecas , aut villosum aliquod tegmen illis fovendis admoveret : sed solatium haud vulgare erat , nonnihil ex eo sanguine Christi causâ emittere , quem totum eius gratiâ profusum iampridem maluisset . Postquam ad nostrâ œdes peruenit , vix dum ab itineris lassitudine recreatus , consuetas corporis pœnas , quas aulâ , ac negotia remiserant , adiunctâ etiam accessione , revocavit : ita enim pœnarum suis diu tolerata exarserat , ut modum nullum ipsi ab se deposcendis , nisi imperio coactus , faceret . Vbi primùm per eos , quibus suberat , licuit , in obsoletâ , ac fœdum in modum discissâ togâ triclinium ingressus , omnium conuivarum in conspectum venit : seque palam culpâ omnium reû agens , pœnas nonnullas , prout iustus fuerat , dedit . Vigebat eâ maximè tempestate in Collegio Mediolanensi religiosa Societatis disciplina : omnesque propterea quo studio instituti leges , eodem Aloysium illarum omnium veluti paradigma amplecteban-

Manus præ
frigore sâ-
guine fluē-
tes renuit
fovere .

Remissas
corporis
pœnas cu-
mulatè re-
stituit .

bantur: mutua quoque erat Adolescenti erga
 Socios voluntas, quâ fieret ut quibuscumque
 rebus posset, eorum salutem, ac beatam vi-
 tam procuraret: quia verò gregario hominum
 generi nihil utilius, quàm illi ad virtutem præ-
 ire; studium in id plurimum contulit, ut cum
 ceteris præluceret exemplo, ac virtutis semitam,
 non modò quæ nam esset, eundo, verùm e-
 tiam, quàm non ardua, festinando significa-
 ret. Ac primò quidem nullius rei vacationem,
 aut immunitatem unquam tulit: sed onera cõ-
 munia, ut quæ multorum humeris incumbere
 rent, haud gravatè ferenda censuit: proinde
 cum alijs in gymnasium venire, contubernalem
 eodem in cubiculo habere, ministrare conui-
 vis, ceteraque domestica munera eò alacriùs,
 quò graviora essent, obire. Summam D. Tho-
 mæ Aquinatis paulò elegantius compactam,
 aureolis etiam inuolucris opertam in conclavi
 repererat: certus autem, non eo nitore reli-
 quis tradi, mirè tristatus est, Rectoremque
 aditum supplex, ac fufis lacrymis rogat, ut cū
 aliâ magis tritâ, ac religiosam paupertatem
 proficente commutaret: ijsque in precibus tan-
 diu hæsit, dum ob Evangelicam illam impro-
 bitatem, quâ preces Christus probari voluit,
 indultum est quod poposcerat. Impetravit e-
 tiam

Ceteris ad
 virtutem
 exemplo
 præit.

Nullò cõ-
 muni one-
 re eximã
 sustinet.

Ortium a studijs in culinæ, ac triclinij ministeria impendit

Triclinij mēsas varijs cœlitū nominibus distinguit.

Gaudet in cunctis reptare, ne cadat.

tiam, ut, siquid ortij a studijs interdiu esset, in adiuvandis culinæ, ac triclinij Præfectis exercere liceret: quare illis aquam, ligna, sarmen- ta comportare, ornare conuivium, patinas, atque ollas eluere, tergere, aliaque talia, ut infimus quisque homuncio ad ea comparatus, factitare: utque etiam se ad eiusmodi ministe- ria alacriorem præstaret, reputabat animo, eam non hominibus, sed Deo, Superisque o- peram impendi: quam ob rem singulis triclinij mensis Cœlitum alicuius nomen indiderat: ver- bi causâ, Rectoris mensam a Christo Domino rerum omnium Rectore nuncupabat: sic pro- ximam a Virgine, reliquas deinceps ab Apo- stolis, Martyribus, ceterisque Sanctorum Vi- rorum ordinibus nominare solitus erat: cum- que illas insterneret, perinde, ac si Superis in- strueret, omni studio, ac sollicitudine, quid- quid planè ageret satagebat. A prandio, vel cœnâ cum rei domesticæ Adiutoribus erat affi- duus: si autem in sui ordinis adolescentiū con- uentu esset, postremum semper, eundemque maximè incommodum locum, ubi nec hume- ros acclinare posset, obtinebat. Sæpè in cir- culis a tergo alicuius alios auscultare colloquē- tes visus est, gaudebatque in cunctis ima pete- re, ac propemodum reptare, ne caderet, soli-

tus

ttis ex alienis casibus sublimium pericula dime-
tiri.

Compluries hinc etiam per eius urbis fora, ac
loca celebriora stipem, comitesque contume-
lias pannosus coegit; idque non æquus modò,
verùm tam gaudens, tam libens, atque adeo
festivus, ut nihil supra. Cuius id erat in cau-
sâ, quod Christum supremum rerum Dominũ
ad eum modum victum sibi olim precariò pa-
rantem, animo repræsentaret, eamque com-
parationem sibi summoperè gratularetur. Mu-
nus illi obuenerat, aranearum e domo telas di-
scutere: cui muneri per se satis humili ignomi-
niam, vulgando, cumulabat. Nam ubi Sena-
torum aliquem, seu alium quemlibet præstan-
tis familiæ virum in inferiori porticu deambu-
lantem, adhibitâ obseruatione, despexisset;
continuo captâ perticâ, cui scopæ erant præ-
fixæ deorsum ad araneas tergendas devolabat:
suumque negotium quamproximè illos posset,
atque in eorum oculis, quò totius domi despi-
catisissimus crederetur, gerebat: licet hæc eum
spes longè falleret: quâ enim viâ gloriam se
declinare arbitrabatur, eâdem imprudens of-
fendebat: siquidem is ipse honos contemptus,
ac veluti sub pedibus actus, altioris honoris
non modò tunc, verùm & sequutis postea tem-
poribus

Araneas e-
rã nobili-
bus Viris
discutit.

Eius exē-
plo Patres
gravissimi
atrium pu-
blicè ver-
runt.

poribus basis fuit . Nam eius exemplo solemne illud in Romano Collegio institutum , ut pridie eius diei , quo anniversaria B. Aloysij memoria colitur , Vniuersi Patres, ijque iuniores, qui litteris dant operam , Provinciæ Præfecto, & Collegij Rectore præeuntibus sub initium scholæ pomeridianæ scopis instructi atrium totum evertant . Spectatum eo tempore affunditur confertissima exterorum turba : in quâ non desunt , qui initio simplicitatem irrideant : sed deinde subeunte eorum, quos rident , nobilitate (vidimus enim ibi nostro ævo totius Italicæ Nobilitatis florem) tam altè humanas irrisiones despiciente , mirari coguntur illorum celsitudinem , a quibus, quæ summa inter homines habentur, despectari vident . Hæc autem tam honesta deiectio Christo primùm accepta haud dubiè referenda , qui eam suo veluti contactu honestavit ; sed deinde etiam potissimùm Aloysio , qui proximum se nobis ducem per tam obscura , atque humilia ad veram petendam gloriam exhibuit .

Gratum illi usque adeo erat negligi , ac despiciatui haberi, ut cum illustrius aliquid gerendum offerretur , offensos veluti ad fulgorem oculos statim averteret: nec antea ad id se induci pateretur , quàm quid inde contemptus obuenire

nire posset, deprehendisset: tunc enim splendore diluto æquis oculis rem spectabat, animoque pacato aggrediebatur. Hoc maximè patuit, cum aliquando nonnulli Sacrorum Antistites Mediolanensis Rectoris inuitatu ad mēsam unā cum nostris in eo Collegio accubuerūt. Aloysius enim iussus è superiore loco verba inter epulas facere, gravem quidem accuratamque de Episcopi munere tunc orationem habuit; sed nonnullis deinde successum gratulantibus, id unum, inquit, in eā re alienā gratulatione, suoque gaudio dignum sibi visum, quod palām se blæsum esse prædicaverit. Re enim litteram linguæ vitio minus expedire valebat. Illud denique obseruandum, quòd cum aliquando officio deesse videretur, eò quia salutem impertientibus, mente sursum erectā, minimè redderet; re aliorum admonitu cognitā, mirum quantum indoluit: tum publicæ increpationi crimen subiecit, adscriptā superbiam causā, eāque satis copiosè exaggeratā: exinde verò vigilem in eo curam adhibuit, ut animum Divinis vacantem humana non præterirent, itaque Deo esset intentus, ut Divinam homines sobolem minimè negligeret. His igitur Christianæ virtutis documentis in eā Vrbe datis, tanta de illo apud nostros, exterosque existimatio

Ex habita
cōcione si
bi gratula
tur, quod
blæsus ap-
paruerit.

stimatio inualuit , ut nonnisi summâ cum ani-
mi reverentiâ , ac pietatis sensu ipsum alloque-
rentur : tamen ille non omnibus passim , sed
quos eandem secum viam ingressos , pari-
terque incitados noffet, ijs sese liben-
tiùs adiungeret : idque eo con-
silio , ut non suo tantum ,
sed alieno etiam im-
pulsu ad arduam
salutis viam
progre-
dere-
tur.

∴



DE